

ne unigeniti filij Dei.

VERSIONES.

Syriacus, Vatabl. Qui credit in eum non condemnatur, qui vero non credit, jam condemnatus est.

Arias. Credens in eum non judicatur; qui autem non credens, jam judicatus est.

D. Athanasius lib. 5, contra Arium. Qui credit in filium habet vitam æternam, qui autem discedit filio, non videbit vitam.

D. Zeno serm. in Psal. 110. Qui credit in me, non judicabitur.

Tertullianus ad versu. Præxam. c. 21. Qui crediderit in illum, non judicatur, qui non crediderit in illum, jam judicatus est, quia non credit in nomine unici filij Dei.

credendi se ostendit homo dignum æterna pœna, & privatum cœlesti gratia, quæ est semen vitæ, & non dicit, judicatur, sed jam judicatus: supra enim de credente, Qui credit non judicatur; at de infideli, qui non credit, jam judicatus, per quod aliquid majus denotatur; nam qui non credit non solum est adstrictus condemnationi, sed ipsomet infidelitatis actu condemnatus. Et ita ait Divus Chrysostr. homilia 26. Ipsum discedere impenitentis supplicium est, esse enim extra lumen secundum se maximum supplicium est. Et totius pœnæ subijcitur causa: Quia credit in nomine. Merito non credens in tantam pœnam incurrit; quia ut ait Divus Cyrillus lib. 2. cap. 53. Nam quanto præstantius est, quod conemnitur, tanto majoribus, qui spernit, supplicii subijcitur. Causam dictorum subdit Dominus: Quia non credit in nomine filij Dei. Albertus Magnus advertit, quod non hic ponitur pro notitia ac cognitione, quæ data est de filio Dei per testimonium Joannis, vocem Patris, & per stellam & alia. Et dicitur, Quia non credit in nomine, Actor. 4. num. 14. Quia nec aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri: Et non dicitur: quia non credit in filio Dei, sed in nomine, quia in ipso nomine Jesu omnia magna recapitulantur.

EXPOSITIO.

299. PROBANT Dominus præcedentem sententiam, se in primo adventu non venisse in judicium, & condemnationem mundi, sed quod unusquisque vitio suo se damnet. Nam vel homo credit, vel non credit: si credit, non judicatur in hoc primo adventu, hoc est, Christus non exercet suam justitiam contra eum; si autem non credit, jam judicatus est. Ac proinde totius salutis causam, fidem esse, demonstrat. Et ait, Qui credit in eum; hoc est, fide formata, & operante per charitatem. Et ideo dicit in eum, ut jam notavi supra num. 217. Non judicatur, id est, non condemnatur. Ira transferunt Syriacus, & Vatabl. & explicat Divus Chrysostr. & Theophylactus; & alij citandi quæst. sequenti, & verbum judicare pro condemnare hic sumitur. Et non dicit, ut notat Albertus Magnus; Non judicabitur de futuro, sed non judicatur, de præsentia, quia ubi primum homo credit, statim bona supernaturalia, & divina ad suam salutem consequitur, Joan. 5. num. 24. Qui credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transit à morte in vitam, & dum dicit Dominus de præsentia, Non judicatur: per hoc intendit declarare, ut rectè observarunt Cajetan. & Tolet. quod ille, qui credit in eum, non judicatur, seu condemnatur de commissis ante peccatis, quoniam credendo, ut oportet, ad salutem, consequitur remissionem eorum, & gratiam habitalem Dei, non ex jure, seu debito, sed ex gratuita condonatione. Qui autem non credit, fide formata; nam qui iniquè agit, in opere non credit. Ait Paulus, Confitentur, se nosse Deum, factis autem negant, ad Titum 1. num. 16. Jam judicatus est; id est, jam est condemnatus; in ipso enim actu non

Syriacus, Vatabl. Chrysostr. Theoph. Alb. Magn.

Joan. 5. Tolet. Cum gratia datur peccatorum remissio.

300.

Ad Tit. 1.

QUÆSTIO LVI.

Quomodo hæc sententia Christi: qui credit, non judicatur; & qui non credit, jam iudicatus est, cohereat cum universali judicio?

Asserunt Pauli infallibile fidei dogma est: Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum, 2. Corinth. 5. num. 10. Constitutus est enim Christus Dominus iudex omnium vivorum, ac mortuorum. Et ideo omnes tam probi, quam improbi, ab ipso sunt judicandi. Quomodo ergo ait Dominus hic: Qui credit non judicatur, & qui non credit, jam judicatus est. Et ob id Divus Zeno serm. in Psal. 100. Divus Hilarius in illud Psal. 1. Non resurgent impii in iudicio. D. Augustinus lib. de Agone Christi, c. 27. referunt, aliquos fuisse deceptos universale judicium negantes; dicebant enim, hac sententia Domini à judicio eximi fideles, infideles non admitti; an proinde neminem superesse indicandum. Ideo Patres in varias sententias abierunt in hujus rei explicatione.

Respondet primò D. Hilarius citato loco, quod judicium est in ambiguis, ac proinde quod justii credentes, cum eorum merita sint nota, non sunt judicandi infideles autem, cum non credant, eorum damnatio est aperta, & ideo, jam sunt iudicati. Qui autem credunt cum justis & malè agunt cum peccatoribus, hos esse judicandos asseverat, ut eorum cooperta nequitia, dum vivebant, fiat coram omnibus aperta & manifesta in universali judicio.

Secundò D. Augustinus citato loco, & tract. 12. in

Chrysostr. est, esse enim extra lumen secundum se maximum supplicium est.

Cyrril.

Alb. Magn.

Actor. 4.

Actor. 4.

In nomine

Jesu omnia

magna

recapitulantur.

301.

2. Cor. 5.

Zeno.

Hilar.

August.

302.

Hilar.

303.

in

August.

304.

Zeno.

Basil.

Ambros.

Gregor.

Hieron.

305.

Vera sententia.

Chrysostr.

August.

Basil.

Euthym.

Theoph.

D. Bonavent.

Hugo.

Chrysostr.

Euthym.

Theoph.

Genes. 2.

Ad Tit. 3.

in Ioan. Non credentes, asseverat, judicandos; hujusmodi autem verba, Jam judicatus est, affirmat dicta more prophetico, nam ob magnam certitudinem rei solent multoties Prophetæ futura prædicere, tanquam præterita. Et eodem modo explicat illa alia verba de fidelibus: Qui credit, non judicatur, quia tam certa est eorum vita æterna, ac si judicium esset absolutum.

Tertiò D. Zeno, & alij Doctores statim citandi, considerant in iudicio duos actus, ut jam notavi quæst. 54. in principio. Unus est examinis, & discussionis, quo causa examinatur, ac discutitur; Alius actus, quo examine facta sententia profertur. Dicunt ergo, iudicio discussionis non esse credentes judicandos, nam eo ipso quod non credunt, eorum causa jam est iudicata, ac damnationi obnoxia: affirmant tamen judicandos iudicio sententiæ, quia sententia damnationis contra eos proferenda est. Ita docent Divus Basilius in Psal. 1. in illud: Non resurgent impii in iudicio. Non, inquit, veniunt, ut convincantur, sed ut ferant damnationem. Similiter Divus Ambrosius in cit. Psal. & serm. 20. in Psal. 118. num. 2. D. Greg. lib. 26. Moral. cap. 20. D. Hieron. in illud Ierem. 25. Iudicium Domini cum gentibus.

Quartò, & est vera intelligentia, quod hoc loco verbum judicare sumitur pro damnare. Ita tradunt, D. Chrysostr. homil. 27. & homil. 65. in Math. D. August. serm. 14. de verbis Apostoli: Quid est, ait, jam judicatus est? damnatus est: nam iudicium pro damnatione plerumque ponitur, & tract. 2. & 43. in Ioan. D. Basil. Psal. 7. hoc in loco Euthym. Theoph. Albert. Magn. D. Thom. D. Bonavent. Hugo. D. Bonavent. Hugo, & alij multi. Qui credit, non judicatur, id est; non damnatur, nam per fidem formatam, ac per ipsam gratiam habet causam per quam effugiat damnationem, & qui non credit, jam dicitur iudicatus, id est damnatus: nam per peccatum, incredulitatis habet in se causam damnationis. Sicut qui mortiferum vulnus accepit, dicitur jam mortuus, quamvis adhuc vivat, quia in se jam habet causam mortis. Adamus, ut explicat D. Chrysostr. homil. 27. in Ioan. Euthym. Theophyl. qua die comedit, dicitur mortuus. In quacunque die comederitis, morte moriemini. Genes. 2. n. 17. Et tamen ipse postquam comedit, vivebat: tamen dicitur mortuus rei natura, ac sententia Dei, quia fecit se obnoxium supplicio mortis; ac proinde à propria ratione iudicii sui jam est condemnatus. De hæretico ait Apostolus ad Titum. 3. n. 10. Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devota, sciens, quia subversus est, qui hujusmodi est, & delinquit, cum se proprio iudicio condemnatus. Græcè legitur, à se ipso condemnatus.

Etis quæst. 54. in principio. Sed, ut moraliter dicamus, apud homines idem valet iudicare, ac condemnare; quia nullus apud homines accusatur, qui totaliter sit absolutus; nam ipsa accusatio, ac iudicium, quoddam condemnationis, est genus; quamvis enim homo absolvatur, semper tamen manet suspicio, ac probabilitas commissi criminis; & ipsa discussione multa sæpe crimina fabricantur. Nam dum homo turpe flagitium sibi obiectum à se repellit, ipsa defensione creditur, ac verecundia afficitur; & ipsa criminis refutatio etiam valde modesta est. D. Greg. Nazianz. Orat. Nazianz. de laudibus Basili, inter ejus graves perfectiones commemorat, quod de ejus vitæ integritate facta fuerit inquisitio. Ille, scilicet Prætor, ut sum fervere concitatur, & magistratus quosdam mittit, qui sancti viri cubiculum perferentur; ignominia causa potius id faciens, quam quod hujusmodi quidquam necesse esset. D. Chrysol. serm. 3. eleganter ait: Delicta, Chrysol. qui discutit, prodit.

Totam domum Jacob investigavit, ac revolvit Laban, an idola sua sibi ablata potuerit invenire, quæ cum non invenisset, Tamen Jacob cum jurgo ait, Quam ob causam meam; & ob quod peccatum meum exarsisti in me? Scrutatus es omnem suppellectilem meam? Genes. 31. n. 36. Sed Jacob, qui valde mitissimus erat quomodo tanta indignatione tangitur? æquo animo passus est minas, ac injurias fratris, fraudem fecerit, dum pro Rachel dedit Liam, permutationes Laban; necem dilectissimi filii Joseph, quamvis suspicaretur, ut voluit graves Auctores, quod à fratribus esset interfectus; & tamen in tantis eventibus non irascitur, sed modò indignatione commoveatur; Scrutatus es omnem suppellectilem meam? Totius familie examen, ac inquisitionem pro gravi injuria habuit, nam dum investigatur, semper fama periclitatur, ac multis opinionibus est exposita. Rupert. lib. 7. de Trinit. & operibus ejus Rupert. cap. 45. Quid invenisti de cuncta substantia mea, ut tu exarsceres post me, & scrutaveris omnem suppellectilem meam, quæ magna indignitas est. Carthofianus citato loco Genes. 1. se indignans Jacob, ait, quoniam contumeliosum fuit, ita de furto peti, reprehendi, & examinari. Vide cap. 12. num. 60. & 61.

Joannis 3. n. 19. Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera.

VERSIONES.

Syriacus, Vatabl. Hæc est autem condemnatio &c. & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem, &c.

EXPOSITIO.

APPONIT Christus Dominus causam, & rationem, ut notant Divus Chrysostr. Alcuinus, Theophylactus, Euthymius, & Albert.

iudicium, quoddam damnationis genus.

307.

Genes. 31.

Dum aliquis

subit exa-

men & iudi-

cium, ei fit

injuria.

Carthof.

308.

Chrysol.

Alcuinus.

Euthym.

Theoph.

Albert.

Alb. Magn.

Albertus Magnus ob quam, qui non credunt, jam iudicati, & damnati sunt. Et ita ait: Hoc est iudicium, seu forma, & ratio condemnationis. Et ad hoc magis declarandum enumerantur tria, ut advertit D. Thomas, beneficium, perversitas infidelium, causa perversitatis, Beneficium, Lux venit in mundum. Homines erant in tenebris ignorantiae, quas quidem Deus destruxit, mittens lucem filii sui in mundum, ut homines cognoscerent veritatem. Joan. 8. Ego sum lux mundi. Et considera magnum Dei beneficium, quod homines non quaesierunt lucem, sed ipsa venit ad eos, Vide lib. 3. cap. 2. quest. 4. Quod notant D. Chrysostomus homil. 27. Nunquid ipsi homines eam quaesierunt, vel laboraverunt, ut invenirent; ipsa lux venit ad eos, nec ei occurrerunt. Perversitas infidelium: Dillexerunt magis tenebras, quam lucem. D. Hilarius in Psalm. 1. per tenebras, intelligit peccata, & vitia. At haec expositio cum sequentibus verbis, Erant enim eorum mala opera: non cohaeret, nam simul eisdem rei fieret repetitio, Et ideo D. Cyrillus lib. 2. cap. 5. D. Chrysostomus homil. 27. D. Thomas, D. Bonaventura, per tenebras intelligunt infidelitatem, seu Dei ignorantiam; & valde frequenter in hoc sensu usurpantur tenebrae in Scriptura. 1. Petri 2. num. 9. Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum, Ephes. 5. num. 28. Eratis aliquando tenebrae, id est, sine Dei cognitione, nunc autem lux in Domino. Et ita dilexerunt homines magis tenebras tam immobiliter suis depravatis erroribus inhaerentes, ut ne ab illis desisterent, noluerint veritatis fidem inquirere, nec oblatam recipere. De his enim ait Divus Chrysostomus homil. 27. Quisnam ejus miserebitur, qui cognita luce in tenebris potius degere perseverat. Causa perversitatis, Erant enim eorum mala opera. Quamvis enim lux venerit, ut omnes illuminaret; tamen infideles suis iniquis factis obstacula, & impedimenta opponerunt, ne illuminarentur. Et licet darentur aliqui infideles, qui aliquas bonas haberent actiones, ut Caro, & alii, hoc proveniebat, non amore virtutis, sed ob vanam gloriam, ut docent hic D. Chrysostomus, D. Thomas, vel ob amorem suae sectae, & erroris: Ut si quis infidelis castè vivat, vel jejuret, quia praecipitur in sua secta.

Joan. 8. Lux quaerit homines, & non homines lucem. Chrysof.

Hilar.

Cyrril. Chrysof. D. Thom. Bonavent.

1. Petri. 2. Ephes. 5.

Chrysof.

Peccata infidelium sunt obstacula, ne illuminentur.

Chrysof. D. Thom.

Ioannis 5. n. 20. Omnis enim qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.

VERSIONES.

Syriacus. Quisque enim odiosa mala agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguantur opera ejus.

Arias. Mala faciens.

EXPOSITIO.

309. MAGNA connexione procedens loquitur Dominus, & explicat causam, ob quam homines magis dilexerunt tenebras, quam lucem. Et ait: Omnis, qui, male agit. Et quamvis

Graecè dicitur Mala agit; tamen praestantior est nostra lectio Latina, nam apud Philosophos constat, prius esse male operari, quam malum, nam illud significat cum contemptu, ac perseveranter agere: & hi proprie oderunt lucem, ut notant Albertus Magnus, & Salmeiron. Illi vero, qui licet interdum malum faciunt, non tamen ex contemptu, ideo non fugiunt à luce, sed currunt ad illam, ut videant suos defectus, Omnis enim, qui male agit, peccando odit lucem peccata, & vitia arguentem. Job. 24. num. 13. Ipsi fuerunt rebelles luminini, nescierunt vias ejus. Textus, Non venit ad lucem; immo fugit eam, ne manifestentur opera sua, sed solum tenebras quaerit, ut licentiose viva. Ita impius suis inique factis inhaeret, ut ne ejus detegatur, ac arguantur facta, neque ipse de veritate doceatur, lucem fugiat. Recte Divus Chrysostomus homil. 27. ait. Qui tenebris inhaeret, perversa mentis, & linguosa a gumentum defert adversus semetipsum. Valde decipitur peccator, nam dum lucem, veritatisque scientiam fugit, ad eum non effugit, sed adversus se à semetipso lucem nequitiae habet argumentum. D. Cyrillus lib. 2. cap. 5. ita explicat haec verba, Recusat, ait, omnis, qui male agit, lucis illuminationem: non quia malorum eum pudeat, pigeatque (salva enim est, si id esset,) sed quia ignorare meliora mavult, ne conscientia stimulis quotidie peccatis exagretur. Quia vero impij in vitiis suis maxime delectantur, & ne à lege Evangelica, eorum malum conscientiam indicante, cogentur hujusmodi vitia deponere: ideo legem noluerunt recipere, ut placide suis iniquitatibus indulgerent, mala enim conscientia accusatrix est, & quietem in delectationibus perturbat.

Albert. Mag. Salmeiron.

Job. 24.

Chrysof.

A semetipso arguitur peccator.

Cyrril.

Mala conscientia accusatrix est.

QUESTIO LVIII.

Quare, cum lex venerit ad salvandum homines, noluerint, ad ipsam venire?

310. Merito addubitat D. Chrysostomus homil. 27. Quare homines noluerunt venire ad lucem, quia eorum opera erant mala: nam si lux ad iudicandum, ac damnandum venisset, optima erat ratio: Noluerunt venire, quia timebant lucem, nam eorum opera erant mala, tamen à luce condemnarentur: At cum lux venisset ad salvandum, quomodo noluerunt venire, quia eorum opera mala erant, ut ita remedium invenirent in suis peccatis. Optimo exemplo res explicatur. Si quis enim dicat, quod homines infirmi noluerunt venire ad Medicum, quia infirmi erant, quomodo hoc stabit. Immo potius infirmitas causa est veniendi: nam, ut ait ipse Chrysostomus, Qui enim alicujus culpa sibi conficius est iudicem fugere solet, indulgenti autem errantes quoque obviam fiunt.

Ratio dubitandi.

311. Respondet idem Chrysostomus quod ad lucem noluerunt venire, non quia peccata habebant, multi enim publicani, peccatores Jesum sequebatur, & ambulabant eum eo, sed illi venire noluerunt, qui perseverantiae suae malitiam capiebant, & ne à suis peccatis desisterent lucem fugiebant, & tenebras sectabantur, tenebrae enim valde oportune delictis patrocinantur & ex tenebrarum caligine peccatores sibi peccandi

Tenebrae delictis patrocinantur.

Isai. 29.

Oleaster.

Peccata secreta maxime deploranda.

Hieron. 312.

2. Reg. 12.

Abulch.

peccandi licentiam sumunt: nam qui in occulto peccat, videtur sibi impunè delinquere, tanquam si apud homines homo, non tam sit delicti reus; quam publicationis ipsius criminis. Ait Isaias 29. n. 15. Va qui profundi estis corde, ut à Domino abscondatis consilium: quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos? Lamentatur Propheta, ut volt ibi Oleaster. principes Israël, qui secretissime periebant auxilium ab Aegyptiis, ne hoc scirent Assyrii inconsulto Domino. Tamen, cum multa in Israël flagitia, & abominaciones grassarentur, ut patet ex ipso cap. 29. & 30. Propheta lactymosum vix profert, & multis deplorat, quae secretò, ac sub tenebris fiebant: quia tenebrarum latebrae magnam delictis licentiam, & suffragium praestant; dicunt enim: Quis videt nos? Quos late pungit, & arguit D. Hieron. ad civitatem Isaiam locum. Veniens Nathan ad Davidem, ut ipsum argueret, & increparet de adulterio commisso, ait ei. Tu enim fecisti abscondite, 2. Regum 12. in. 12. Sed ad quid dum ejus supplicium profertur, ei dicitur quod fecerit abscondite, Abulensis ibi: Tu cognovisti Bethsabeam in abscondito, & fecisti eam ad te secreta duci: postea quoque celare voluisti factam israhel per mortem Uria. Ut exaggetur culpa, secreti commoditas commemoratur; quod enim secretè agitur; magna cum penitentia committitur; nam tenebrarum absconditum latibulum fovet inverecondiam, patrocinatur impudentia, & toras libidinis habenas solvit.

Ioannis 3. n. 21. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.

VERSIONES.

Vatablus. Qui autem operam dat integritati, venit ad lucem, ut palam fiant facta ipsius, quod cum Deo sunt facta.

Hebraice. Qui autem facit opus rectum, seu iustum, venit ad lucem, ut manifestentur ejus opera, quia instinctu Dei sunt facta.

Syriacus. Ut innotescant opera ipsius.

Theophylactus. Ut conspicua fiant facta ipsius, quod per Deum sunt facta.

EXPOSITIO.

313. CUM male operantes dixissent odisse lucem, & ad eam non venire, ut non arguantur eorum opera, subiungit: bene operantes amare lucem, & ad illam venire, ut manifestentur opera eorum: Qui autem facit veritatem; frequens Hebraismus est; & veritas ponitur Sylvara in Evang. Tom. II.

pro opere iusto, & recto. Exechiel 18. num. 9. Si iudicia mea custodieris, ut facias veritatem, hoc iustus est, & vivet. 4. Regum 20. n. 3. Memineris quomodo ambulaverim coram te in veritate. Quomodo enim veritas dicti in eo stat, dum conceptus, vel verbum internum confirmatur rei, quae ut est, concipitur, & profertur, ita rectum, & iustum opus in eo consistit, dum conforme legi Dei venit ad lucem. August. D. Augustinus tractat. 12. in Joannem, magnam hic dubitationem movet; quia ex dictis videtur sequi aliquos ante fidem Christi habuisse bona opera; & in Deo facta: quod contrariatur Psalm. 126. num. 2. Vanum est vobis ante lucem surgere. Ad hoc respondet D. August. D. Bonaventura; Facere veritatem ergo vocat hic Dominus peccata agnoscere Christo lucente; vel ire ad lucem, vocat; gratias Deo agere: in dilectione Dei, & misericordia ambulare, sive in operibus bonis. Ita Bonaventura. Ille ergo venit ad lucem, qui agnoscendo peccata sua, & miseritimum infidelitatis statum, venit ad lucem, gratias agendo pro misericordia recepta Christo illuminante.

Ezech. 18. 4. Reg. 20.

Psalm. 126.

August. Bonavent.

Magna utilitas ex cognitione pro-

Tamen meo videri hic loquitur Dominus de pia, & bona voluntate antecedente ad opus iustitiae. Nam in nobis ante actum credendi datur quadam voluntas, quae dicitur pia affectio, & ante opus meritorium datur hujusmodi voluntas rectè operandi, quae voluntas est ex peculiari Dei auxilio. Qui ergo habet hujusmodi bonam voluntatem, venit ad lucem, id est, ad Christum. Ut manifestentur opera ejus, id est, venit ad lucem, ut per eam cognoscat, opera sua rectè, & secundum Deum esse facta. Nam sicut qui male agit, fugit lucem, ne agnoscat suam nequitiam; ita qui rectè agit, quaerit, & venit ad lucem, ut per eam agnoscat, quod sit rectum opus, & secundum Deum factum.



CAP. IV.

Incarceratur divinus Baptista.

Marci 6. n. 17. Ipse Herodes misit, ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam.

VERSIONES.

Syriacus. Ipse Herodes miserat, prehensum Jochanum, eumque coniecit in domum vinctorum, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui quam duxerat.

Theo